



Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni


Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Punctum VII. De confirmatione privilegiorum, sub quæ forma, & fieri
soleat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

Oraculum sibi concessum, facultatem, v. g. dispensandi, vel absolvendi quemlibet ad se venientem à casibus reservatis, & talem facultatem nondum exercuit, revocata censeri deberet per dictas Constitutiones, quia illa non est sortita suum effectum, neque habet tractum successivum per unicum solum actum, prout illum habent gratiæ relatæ in declaratione factæ Congregationis, sed per plures independentes ab invicem. *Quod dixerim contra aliquos, qui non rectè percepisse videntur id, quod loco relato dixi.*



PUNCTUM VII.

De confirmatione privilegiorum, sub qua forma, & modo fieri soleat?

Confir-
matio in
forma
commu-
ni, & ex
certa
scientia
explica-
tur.

68. **P**OST QUAM de privilegiis, & eorum cessatione mentionem fecimus, venit de confirmatione illorum agendum. Circa quam, quia modica est controversia, parum immorabimur. Igitur confirmatio diffinitur soleat: *Quod sit juris quasi roboratio.* Est enim illius natura, non dare novum esse, sed antiquum roborare, vel ad suum pristinum vigorem reducere. Duplex genus confirmationis communiter ab Authoribus assignatur, ex cap. *diversitatis, de concess. prebenda, cap. i. de transact. cap. veniens, eod. tit. una in forma communi, ut quando confirmatur privilegium antea concessum, sitte alio examine, & distinctiori notitia illius, sed cum sola*

cognitione confusa privilegii, quod simpliciter prout facer proponitur, ut antea concessum erat: & sic confirmatur sine aliqua forma speciali, solum in forma communi. Alia *ex certa scientia*, quando nimirum eum perfecta notitia, & examine privilegiorum, & eorum circumstantiarum, & aliorum, quæ ad illorum conditionem spectant, proceditur. Quare cum in ipsa confirmatione additur verbum, quo significetur sufficiens præcessisse examen, seu perfectam notitiam; vel tenor antiqui privilegii confirmandi ingeritur; dicitur confirmatio *ex certa scientia*: & quando hoc non invenitur in confirmatione, erit *in forma communi*. Ac non requiritur, ut confirmatio ex certa scientia dicatur, quod totus tenor privilegii confirmandi, inseratur in confirmatione; sed sufficit hoc, vel quod clausula *ex certa scientia* apponatur: quia hæc sufficiens est signum supradictæ cognitionis: & cum per eam affirmet Princeps se confirmare ex certa scientia, illi credendum est. Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 18. q. 1. n. 4. & 6.* Nicolaus Garcia *de benef. p. 3. c. 2. n. 230.* Donatus *tract. 11. q. 5. n. 6.* Suar. *lib. 8. c. 18. n. 6.* Petr. ab Angel. *disp. 7. sect. 4. n. 3.* Imò sufficit, quod ex aliis verbis ejusdem scripti, seu ex narratis in illo constet Principem cum plena facti cognitione procedere: & sic sufficit clausula æquipollens certæ scientiæ; ut est *de plenitudine potestatis*, per quam significat se non solum velle operari secundum Jus commune; sed supra, vel contra illud: quod non præsumitur

facere, nisi ex certa scientia operetur. Suarez, Donatus *locis citatis*. Pellizzar. *tract. 8. capite 1. sect. 2. num. 26.* Antonius à Spiritu sancto *tractatu 1. disputat. 1. sect. 4. num. 63.* Addit Suarez, cum Donato per hanc scientiam intelligi scientiam facti: nam scientia Juris Communis, semper à Principe præsumitur, *cap. 1. de constitut. in 6.*

Effectus, quos habet confirmatio in forma communi.

69. Quare cum nullum ex prædictis verbis, dictam scientiam Principis demonstrantibus in confirmatione apponitur, semper præsumitur facta in forma communi, quæ nihil aliud est, quàm quædam simplex approbatio facti præteriti: nec ampliat privilegium; nec supplet defectus, si forte aliqui in illo inveniantur; nec validum reddit, quod invalidum ex qualibet causa existerat; & sic non potest dici illa confirmatio, concessio nova privilegii; sed illius pura roboratio: quia verbum *confirmo* purè prolatum, non est nota voluntatis donandi, vel faciendi aliquid de novo simpliciter; sed tantum approbandi, quod factum est, *cap. inter, §. ceterum, & §. cum iterum, de fide instrum.* Suarez numero 7. Tambur. numero 8. Pellizzar. numero 26. Hieronym. Garcia tomo 1. *tractat. 8. diff. 1. dub. 7. num. 1.* Bassæus *verb. privileg. 4. numer. 1.* Petrus ab Angelis *numer. 4.* Antonius à Spiritu sancto *num. 64.* Quare semper in confirmatione in forma communi, subintelligitur conditio, si id quod confirmatur subsistit validum: & hoc etiam si addatur *innovamus*, vel *de novo concedimus*. Quæ verba in confirmatione, in ser-

ma communi, non revalidant factum; sed sunt quasi repetitio ejusdem rei, posita ad majorem expressionem. Suarez *capite 18. num. 9.* Si tamen illa verba *innovamus* cadant super privilegium, vel alium actum validum capacem confirmationis, accipit robur, & auctoritatem à confirmante; siquidem illud approbat, & quodammodo facit suum, & prodest ad non præscribendum contra privilegium; sed tempus præscriptionis debet computari (si erat incepta & non completa) à tempore talis innovationis, & confirmationis. Rodriguez *tomo primo, questione 6. articulo primo, §. ultimo.* Merola *disputatione sexta, dubio quarto, numero 81.* Bruno Cassaing. *tractatu 1. capite 2. proposit. 4.*

70. At confirmatio ex certa scientia reddit privilegium de invalido validum, & restituit privilegia amissæ per non usum, vel per contrarium usum, & restaurat revocata, & quomodolibet deperdita; & sic vim habet novæ concessionis talis privilegii: nam validare actum, seu privilegium, quod antea erat nullum, idem planè est, quod de novo illud concedere. Bassæus *verb. privileg. 4. numer. 1.* Garcia *suprà num. 2.* Tambur. *disputat. 18. quest. 1. numer. 7.* Antonius à Spiritu sancto *num. 65.* Suarez *lib. 8. cap. 14. n. 1.* Rodriguez *tomo 1. quest. 8. articulo 3.* Donatus *tract. 11. quest. 7.* § Sed hoc intelligitur, nisi Pontifex ponat aliquam clausulam, per quam dicat se nolle confirmare privilegium alias nullum: ut si dicat: *quatenus sunt in usu*; quia tunc si aliquid

Effectus confirmatio- nis ex certa scientia

quod

quod privilegium sit jam nullum, quia non est in usu, non confirmatur per confirmationem *ex certa scientia*. Tambur. *tom. primo, disputatione 18. quaestione 1. & 5.* Bassæus *verb. privileg. 4. nu. 1.* Quare quando talis clausula apponitur, ea solum privilegia confirmat, quæ sunt in observantia, & usu: non ea quæ invalidata sunt per non usum, vel per contrarium usum; secus autem si sint in usu quamvis invalida per quamcumque aliam causam, quia tunc per confirmationem *ex certa scientia*, revalidantur, & renovantur, ac si de novo concederentur. Pellizzar. *tractatu 8. cap. 1. sect. 2. numero 26.* Portel. *in dub. Regul. verbo privileg. à num. 26.* Suarez *lib. 8. capit. 18. num. 16. & 17.* Rodrig. *to. 1. q. 8. art. 3. & 4.* At si è contra ponatur clausula: *Dummodo sub aliis revocationibus non comprehendantur*, non revalidantur per confirmationem privilegia, quæ erant nulla, ob aliquam præcedentem revocationem; bene tamen illa, quæ per non usum, vel contrarium usum erant invalida: quia cum solum excipiat confirmator, revocata per positivam revocationem, & exceptio firmet regulam in contrarium; non intelligitur de illis, quæ alio quocumque modo erant amissa. Sic citati. § Attamen confirmatio *ex certa scientia* nunquam revalidat privilegium, quod à principio fuit nullum, falsum, vel subreptitium: quia non est mens Principis concedere, nisi quod antea vere concessum fuerat. Illud verò, quod ab initio nullum fuit, nunquam verè concessum judicatur; sed revalidat privilegia,

vel à prædecessore revocata, vel per non usum amissa. Rodriguez, Bassæus, Pellizzar. Portel. Tamburin. *quaestione 1. numer. 6.* Garcia *tractatu 8. diff. 1. dub. 8. numer. 2.* Lezan. *verb. privileg. n. 23.* Antonius à Spiritu sancto *n. 65.*

71. Sed ad dictos effectus causandos, & confirmationem *ex certa scientia* expediendâ aliqui dicunt, quod requiritur, ut tenor privilegii confirmandi inseratur in confirmatione, vel quod constet præcessisse in Principe cognitionem defectus, vel nullitatis privilegii confirmandi. Sic Diana *part. 11. tract. 2. miscell. resolut. 7.* Pasqualig. *in qq. canonic. centur. 2. quaest. 107.* eò quod impossibile sit, quod confirmatio sit in forma specifica, nisi procedat ex cognitione specifica, & determinata rei confirmandæ: quia nihil involutum, quin præcognitum: ergo licet ponatur in confirmatione *ex certa scientia*, & *de plenitudine Potestatis*, nisi tenor privilegii inseratur, vel de certa scientia, & specifica Principis constet, non revalidatur privilegium concessum. § Sed hæc doctrina, & modus dicendi non placet; nam reddit incertas, & ferè inutiles omnes confirmationes communiter factas. Quis enim novit, an eas exactè Princeps examinaverit? Vel unde constare poterit, quod intellexerit nullitates, quas privilegia confirmanda habebant? Dicere autem, quod tenor privilegii confirmandi est necessariò inferendus, vel quod constet de informatione individuali Principis explicitè,

Quod tenor privilegii ponatur in confirmatione ad valorem ejus esse necessarium aliqui dicunt.

est

est nimium onus imponere, hocque ferè impossibile, & contra praxim communem est. Maximè, quia idem esset necessarium in confirmatione, & communicatione privilegiorum, quæ quotidie ex certa scientia communicantur, & communicata sunt Religionibus inter se: & nemo petit, vel quòd tenor omnium privilegiorum inferatur, vel quòd Pontifex habeat notitiam individualem illorum, ut communicatio sit forma; sed cum sola notitia confusa, & in communi omnium privilegiorum, quæ exprimitur sufficienter cum clausula ex certa scientia, manet firma, & tenet. Idem est in præsentia asserendum. Sic Suarez, quem ferè omnes alii sequuntur lib. 8. c. 18. n. 12. & lib. 7. c. 29. Merola *disputatione 6. capite secundo, num. 114.* Donatus qu. 4. num. 9. ubi testatur sic fuisse decisum à sacra Rota anno 1614. coram Burato die 26. Januarii.

Aliquæ clausulæ, quæ solent addi confirmationibus ex certa scientia explicantur.

71. Et si roges, quid addatur de novo, cum in aliquibus confirmationibus, & concessionibus, ex certa scientia, & de plenitudine Potestatis, addi solet, *concedimus, & innovamus, &c.* Si per hoc, quod præcisè sit, ex certa scientia expedita confirmatio innovatur, & restituitur privilegium extinctum, ac si de novo concederetur? Respondetur, quod confert ex se jus novum si opus est: est enim quasi quædam conditio naturalis ex parte rei concessæ, quæ tollit omnem vetustatem, & restituit deperdita majori claritate. Insuper ampliat renovationem ad omnem modum possibilem, qui sub propicia

significatione talis verbi cadere potest, & tollit omnem ambiguitatem quia nulla possunt esse clariora signa voluntatis Principis, ad de novo concedendum privilegium illud, restituum, & renovandum, quam illa verba: *De novo, innovamus, concedimus*: Nec amplius desiderari potest, ad dictos effectus præstandos. Suar. cap. 20. num. 8. Barbol. c. 16. de Officio, & potestate Parochi, in fine. Merola cap. 4. num. 78. & 79. compend. Minor. verb. privileg. Fratrum, §. 3. § Et idem ferè dicimus de illis clausulis, quæ addi solent in confirmationibus ex certa scientia, *supplentes omnes defectus juris, & facti, si qui forsitan intervenerint in eisdem*, quæ videntur superflua, si in confirmatione ex certa scientia, privilegia omnino instaurantur, & de novo fiunt, & suppletur omnes juris, & facti defectus. Sed licet hoc ita sit, illa verba merito ponuntur. Tum propter dicta. Tum etiam, ut inquit Suar. cap. 2. num. 10. quia hæc clausulæ non semper adduntur propter novos effectus, sed ad majorem evidentiam, & ad tollenda omnia dubia, & scrupulos; & insuper ad magis præcludendam viam litibus & controversiis.

73. Sed modo restant aliquæ difficultates enodandæ. Prima est, an per confirmationem ex certa scientia, & de plenitudine Potestatis, restantur privilegia revocata per Jus Commune, vel per Concilium aliquod Generale, absque eo quod de tali revocatione fiat expressa, & specifica mentio? Nega-

Non restantur privilegia revocata per Jus Commune

tivè respondendum est, juxta dicta sup. n. 40. eo quod Jus Commune qualificatum per spacialem clausulam resistenter privilegiis, seu revocantem illa, non revocatur sine expressa mentione illius: ergo idem dicendum erit de confirmatione. § Et confirmatur: quia ut lege communi revocetur privilegium, satis non est, quod contra illud disponat; sed debet addere clausulam revocatoriam illius, ut diximus loco citato hoc capite: ergo propter eandem rationem, ut per confirmationem reviviscat privilegium, jam Jure Communi extinctum; non sufficit ut illud confirmet ex certa scientia, nisi expressè dicat, non obstante revocatione Juris Communis, aut Concilij Generalis. Ita Bassæus verb. privileg. 4. n. 4. Corduba in compend. verb. absolut. quoad saculares 2. ad §. 16. Merola disputatione sexta, capite quinto, num. 53. Rosell. verb. absolutio, num. 113. Portel. verb. privilegior. confirmat. numero 33. & videtur tenere Dian. parte undecima, tractatu secundo, miscellan. resolutione septima. Suarez libro octavo, de legibus, capite septimo, numero 5. & cap. 19. n. 4.

74. Secunda difficultas est, an confirmatio ex certa scientia confirmet actum, possessionem, aut privilegium in præjudicium tertij? § Respondetur, quod quamvis in rigore, si confirmatio est absoluta ad omnia se extendat, sicut Papæ potestas extenditur; ex æquitate tamen quæ dicitur nemini esse inferendum præjudicium, cap. super eo, de officio delegati; non confirmatur privilegium cum præjudicio tertij in re gravi, & magni

ponderis, cap. super litteris, de rescriptis cap. quamvis, eodem titulo in 6. cap. ultim. de confirmation. Ubi nunquam præsumitur Principem velle juri tertij derogare, nisi exprimat, in rem gni momenti: ideoque debent impropiari verba legis, seu confirmationis, ne inferant tale præjudicium tertio. leg. si quis à Principe 3 ff. ne quis in loco publico. Sic Cardinal. Tuschus littera C. conclus. 340. numero decimo tertio, Menochius de præsumptionibus, libro secundo, præsumption. 9. Ludovicus Gomez in regul. Cancell. questione prima, regul. de non tollendo jus quasitum. § Excipe primo, si clausula ex certa scientia, addatur: non obstante jure, & præjudicio tertij; quia tunc etiam in magnis, jus tertij abrogatur: quia per hæc adjecta apparet, quod Princeps cum sufficienti fundamento voluit præjudicare illi, cui erat jus quasitum: sic cum multis Barbosa clausula 25. numero septimo, Naldus in summ. verb. clausula. §. ex certa scientia. § Excipe secundo, quando Pontifex aliquam concedit gratiam, quam scit non posse verificari, nec factum effectum sortiri, nisi cum præjudicio jurtis tertij: quia verba in Bullis, & privilegiis appolita, debent aliquid operari; alias essent otiosa, & impertinenter posita, cap. si Papa in fine, de privileg. in 6. Gonzalez ad regul. 8. Cancellar. §. 7. proœmial. num. 63. Tamburin. de jure Abbat. disputatione 18. questione sexta, numero 63. & sic fuisse decisum à sacra Rota, testatur Riccius in collect. 1752. in causa Burgenf. §. Decembr. anno 1601. coram Seraphino.

Ccc 75. Hinc

Varia
confir-
matio-
nes ex
certa
scientia,
recen-
sentur.

75. Hinc solent adduci varia con-
firmationes ex certa scientia, & de plenitudine Potestatis privilegiorum di-
versarum Religionum, quas omnes recensere, esset in longissimum abire.
Nam confirmationes pro Minoribus expeditas, ad satietatem refert Bassius locis citatis. Pro aliis etiam latissime Tamburin. *disputatione 18. questione tertia*, Portel. *num. 30.* Pro nobis, Carmelitis dantur confirmationes factæ à Julio II. Clement. VIII & Innocentio VII. quas refert Urbanus ab Ascen. *primaparte, tractatu secundo, capite tertio, regul. 6.* specialiter autem illa Clementis VIII. quæ est pro nobis Carmelitis exalceatis, ut habetur in nostro *compendio folio 113. num. 116.* In qua omnia privilegia omnium mendicantium, nobis communicavit, & confirmavit ex certa scientia, & de plenitudine potestatis: cum ea tantum restrictione, ut non sint contra Tridentinum, vel contra regulam primitivam ejusdem Ordinis. § An vero confirmatis privilegiis unius Religionis, censeantur confirmata privilegia aliarum cum illa communicantium, gravis est difficultas, quam puncto sequenti examinabimus, & sic sit



PUNCTUM VIII.

An per confirmationem privilegiorum unius Ordinis, aliorum privilegia confirmata maneat, qui cum illo communicant in privilegio?

76. **D**UPLICI modo potest hæc Quæ difficultas procedere. Primo, an si confirmentur privilegia unius Religionis, cui primo fuerunt concessa, illa confirmatio extendatur ad omnes Religiones, quæ per communicationem gaudent eisdem privilegiis? Secundo, an confirmatis privilegiis unius Religionis, eo ipso censeantur confirmata, aliarum privilegia, etiam si diversa sint, dummodo in privilegiis gaudeant communicatione eura illa, cui facta fuit confirmatio: Quod aliis verbis idem est ac inquirere, an confirmatio facta de privilegiis unius Religionis, intelligatur facta de privilegiis aliarum ratione generalis communicationis. § Sed dicendum est, bifariam posse unam Religionem cum alia communicare in privilegiis; vel si solum communicat cum illa in concessis, vel simul in concessis, & in futurum concedendis, ut in multis communicationibus invenitur.

77. Quibus suppositis, dicendum est primo: quod si loquamur secundum primum modum, quo excitatur quæstio, si secunda Religio solum

Aliquando confirmatum pri-

com-